



GRam filius fuit Skyoldi principis Danorū. Huius mirifica in dolens ita paternas uirtutes redoluit, ut prorsus per earum uestigia decurrere putaretur. Corporis animiq; præstantissimis dotibus præditam adolescentiam ad summum gloriæ statum prouexit, tantumq; magnitudini eius à posteris tributum est, ut uetustissimis Danorum carminibus ipsius nomine regia nobilitas censeatur. Quicquid ad firmandas acuedasq; uires attinuit, acerrima ingenij exercitatione tractabat. A gladiatoribus uitandi inferendiq; ictus, consuetudine studio exercitij genere contrahebat. Is cum à patre ad regni gubernacula ascitus esset, educato-

ris sui Roarij filiam uxorem duxit, quã postea Bello strenuo militi, mercedis loco uxorẽ dedit, Anno mundi 2860. Cum hoc modo Gram optimè suis præesset ac Sueonum regis Sictrugi filiam Gro gigantum cuidã desponsatam cognosceret, tam indignã regio sanguine copulã execratus bellũ Suethicum auspiciatur, Herculeæ uirtutis exemplo monstrorũ nisibus obstaturus. In eo bello Gram uictor extitit, atq; Sictrugo rege cum Gigante genero occiso, etiam Suarinum Gothiæ præfectum prostrauit. Postea aduersus Sumblium Finno- rum regem bellũ professus, ad aspectũ filię eius Sigues depositis armis ex hoste procus euasit, eamq; conjugis suæ repudiio pactus sibi despõdit. Cum autẽ bello Noruagico quod contra Suibdagerũ regem ob sororis filięq; stuprum susceperat, admodũ occupatus esset, Sumbli perfidia Heinrico regi Saxonie desponsata fuit. Id cum Gram intellexisset, illicò exercitu suo relicto, tacitus in Finniã contendit, inchoatisq; nuptijs superueniens, extremæ utilitatis ueste sumpta, despicabili sedendi loco discubuit. Rogatus quidnã afferret, medendi solertiam professus est. Ad postremũ omnibus ebrietate madentibus, puellam intuens medijs perstreptentis conuiuij gaudijs per summam sceminei leuitatis execrationem, maximamq; uirtutum suarum gloriationẽ indignationis magnitudinẽ patefecit: Inde cum dicto discubitu euolans, Heinricum inter sacra mensæ & amicorũ complexus obtruncat, sponsamq; medijs abstractam pronubis magna cõuiuarũ parte pstrata, secũ nauigio deportauit. His gestis, ad castra Noruegica reuersus est. In quo loco paulo post Saxonũ uirtute, qui Noruegijs auxilio uenerant, opprimitur, relicto duobus filijs Guthormo & Hadingo. Sax. Gram. lib. 1.